

captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

'Si *negotiationis causa iter susceperit*, inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae etc. etc.

'Si *maritimum iter fuerit aggressus*, sedulo investigatio fiat a quo portu discesserit, quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit, quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quæ navis cautionem forsitan dederit, pretium ejus solverit: aliæque circumstantiæ, si quæ sint diligenter perpendantur.

28. 'VIII. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus: [nimirum quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

29. 'IX. Tandem si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personæ indicis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

30. 'X. Hæc omnia pro opportunitate casuum Sacra hæc Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et juris prudentum suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

31. 'XI. Ex his omnibus Ecclesiastici Præsides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debent, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

### Instructio Secretariæ Status

ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia.

32. Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX., Pontifex Maximus, gravissimis causis impulsus, aliquid immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quæ ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti amplitudo tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de universi Dominici gregis salute sibi divinitus commissa vel maxime sollicitus, pro Apostolici ministerii sui munere non potest non summo opere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicæ Ecclesiæ de hisce conjugii documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de hujusmodi, Catholicos inter et A Catholicos, nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugii perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriæ Benedictus XIV. loquitur in suis Encyclicis litteris ad Poloniæ Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere quod '*De Synodo Diœcesana*' inscribitur.

33. Hinc porro evenit, ut hæc Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super hujusmodi mixtæ religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta hæc conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis, ægre admodum fecit, et non nisi sub expressa semper conditione de præmittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicæ Religionis educari omnino deberet. Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et hæc

Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt.

34. Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus, præter enunciatas cautiones, quæ præmitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectæ quoque fuere conditiones, ut hæc mixta conjugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quæ quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi matrimonia mixta detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac detertere ab iisdem mixtis conjugiiis, in eorum et futuræ prolis perniciem contrahendis.

Jam vero quod attinet ad prædictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsæ in plurimis similibus dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis implicite continerentur; idecirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum unam eandemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas hæc Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtæ religionis impedimento concedere solet.

35. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis temporumque ratione habita, et iis consideratis, quæ a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendum esse formula illius rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarentur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur et excitat, eisque mandat, cum ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate

exequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis.

36. Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri non posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala vitanda, prudenti eorundem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi salvis, firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjugate catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjugate catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholice religionis omnino educanda, judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione impleri minime possint; et quando in promiscuis hisce conjugiiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Diocesano Rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper Missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iisdem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientie omnino commissam, majori, quo fieri potest silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit ut iisdem Antistites nondum fuerint exequuti illa similibus dispensationum rescripta, quæ ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere, in commemoratis exequendis rescriptis.

37. Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes sacrorum Antistites, ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiiis avertere, eosque accurate edocere Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, legesque ad eadem conjugia pertinentes; atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos sacrorum Antistites præ oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quæ a suis felicis recordationis Prædecessoribus, ac præsertim a Pio VI. (*Epist. ad Archiep. Mechliniensem Episcoposque Belgii 'Exequendo nunc'*

die 13. Juni. 1782.) Pio VII. (*Epist. ad Archiep. Moguntinum 'Etsi fraternitatis tuæ' die 8. Octob. 1803*); Pio VIII. (*Epist. ad Archiep. Coloniensem et Episcopos Trevirenses, Monasteriensem et Paderbornensem 'Litteris altero abhinc anno' die 25. Martii 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episcopos die 27. Martii 1830*); et Gregorio XVI. (*Epist. ad Archiep. et Episc. Bavaricæ 'Summo igitur studio' die 27. Maji 1832. Instructio ad eosdem die 12. Septembris 1834. Epist. ad Archiepiscopum et Episcopos Hungariæ 'Quas vestro' die 30. April. anni 1841. Instructio ad Archiep. et Episcopos Austriacæ Ditionis in federatis Germaniæ partibus die 22. Maji 1841*) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptæ fuerunt.

Hæc Amplitudini Tuæ erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur atque servetur.

Datum Romæ die 15. Nov. 1858.

J. Card. Antonelli.

*Notandum.* Hæc Instructio quam supra retulimus est omnium recentissima pro mixtis conjugiiis, et secundum eam matrimonia mixta a S. Sede permittuntur.

## A p p e n d i x

### ad Commentarium in Lib. IV. Decretalium.

#### De Dispensatione in impedimentis matrimonii.

1. Conceptus dispensationis in eo consistit ut Superior Ecclesiasticus, integra manente dispositione legis pro tota communitate, eximat a lege aliquem individuum communitatis ejusdem.

2. Ex data notione sequitur dispensationem considerandam esse tamquam vulnus legi, adeoque ceu odiosam juri, strictam interpretationem pati. Adeo autem in stylo Curiae urgetur interpretationis rigor, ut practica regula sequens adoptata fuerit: 'Dispensatio tantum valet, quantum sonat'. Quare excluditur extensio ad casus similes, nec valet argumentum de majori ad minus. Unde ex gr. dispensatio concessa in secundo gradu consanguinitatis lineæ obliquæ non valet si oratores non in secundo gradu, sed in tertio vel quarto gradu consanguinitatis ejusdem lineæ constituti sint. Conf. Riganti ad Regulam 14. Cancellariæ Apostolicæ nn. 71. et 72.

Hanc regulam vidi ego recognitam in Tribunali S. Pœnitentiariæ.

3. Ex data notione sequitur etiam dispensare non posse in impedimentis, nisi eum qui jurisdictione seu potestate pollet supra legem. Hinc potestas suprema ecclesiastica, quæ ordinario modo in Romano Pontifice residet, et extraordinarie residet in Concilio Generali cum Romano Pontifice, dispensare potest in impedimentis sive impedimentibus sive dirimentibus a jure ecclesiastico inductis. Quæ dispensatio non solum internum sed etiam afficit forum externum, quoties dispensatio detur pro utroque foro.

4. Dixi 'quoties dispensatio detur pro utroque foro'. Nam Sacra Pœnitentiaria quando agitur de impedimento occulto, dispensationem concedit pro foro tantum interno cum clausula: 'Ita quod hujusmodi dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur'.